



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Tractatus V. Et Disputatio Vnica. De virtute spei, & eius contrariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



TRACTATUS QVINTVS ET DISPV TATIO VNICA

De virtute spei, & ei annexis, & contrariis.



PAVLVS I. Cor. 13. post virtutem fidei spem enumerat, quia obiectum cognitum, & nobis conueniens speramus. Præmittit spem charitati; tum quia charitate est inferior, tum quia sine charitate esse potest, vt contingit in peccatoribus fidelibus, qui media pœnitentia sperant consequi salutem. At charitas sine fide, & spe, in hac vita esse non potest.

PUNCTVM I.

Quid sit spes, quod eius obiectum, & quomodo à fide distinguatur.

1. Definitor spes.
2. Obiectum materiale spei est, quod ipsa virtus obtinere intendit.
3. Arguitur Deum non esse immediatum obiectum spei.
4. Deum visum esse immediatum obiectum spei defenditur.
5. Satisfit rationi dubitandi num. 3. adduntur.
6. Deum visum quatenus est nobis conueniens, est formale obiectum spei.
7. In quo spes à fide, & charitate distinguatur.
8. Distinguitur ab his virtutibus distinctione reali.

1. **N**omen spei multipliciter accipitur. Sed omittis variis acceptionibus, de quibus expositorum cum Magist. in 3. sent. dist. 62. & cum D. Th. 2. 2. q. 17. art. 1. & seq. spes in præsentia accipitur pro habitu, seu virtute theologica, qua bona supernaturalia, præsertim beatitudinem speramus, iuxta illud ad Rom. 8. *Quod non videmus speramus.* & i. Petri 1. *Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem.* &c. & clarius ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ, secundum spem vitæ æternæ, quam promissit qui non mentitur Deus.* Ex quibus locis constat dari quandam virtutem, qua hæc omnia bona, præsertim supernaturalia beatitudinæ à Deo consequendâ speramus.

2. Hinc fit obiectum materiale huius virtutis, seu materiam eius esse quidquid ipsa virtus obtinere intendit. Hoc autem primò est gloria, seu beatitudo æterna, secundò omnia alia, quæ huius consecutioni deserviunt. Et quidem quod primarium eius obiectum sit gloria, probat tum locus Pauli ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ secundum spem vitæ æternæ,* tum quod in mentionem solius gloriæ denotat gloriam ad minus esse specialem, & præcipuum illius obiectum. Tum, quia gloria est vltimus nostræ vitæ finis, quem procurare non possumus, nisi speremus. Sed quia hic finis consequi non potest, nisi auxiliis diuinis, gratia; reliquisque supernaturalibus donis, hæc omnia ad vltimum spei secundariò pertinent quia ad eandem virtutem, quam pertinet procurare finem, pertinet & media ad ipsum finem, cum intentio finis sit simplicitè mediòrum intentio. Adde hoc expressè videri definitum in Trid. sess. 6. cap. 6. vbi loquens de modo, quo ad iustitiam peccatores disponuntur. Dixit primò, disponi per fidem credentes vera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atque illud in primis à Deo iustificari impium per gratiam eius, &c. Secundò in spem etiguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. Tertiò illamque tanquam iustitiæ fontem diligere incipiunt, &c. Ecce qua ratione non solum beatitudo, sed quæ beatitudini deserviunt, obiectum sunt virtutis spei, sic omnes DD. Catholici. Quocirca si beneficia aliqua creata speraremus, consequi à Deo sine ordine saltem implicito ad beatitudinem, talis spes & desiderium ad spem theologicam non pertinere, quia in tantum ad ipsam potest pertinere, quatenus ad beatitudinem consequendam conducere potest, & sub hac ratione speratur, sic notant Coninch. dist. 19. dub. 4. n. 58.

Sed quia in beatitudine considerari potest & Deus qui videtur, & visio ipsius, dubium est, quod nam sit horum obiectum spei?

3. Et ratio dubitandi est primò, quia obiectum spei communiter dicitur esse obiectum arduum, absens, & futurum: sed sola eius nobis est absens, futura, & difficilis. Ergo sola illa est obiectum immediatum spei, & Deus mediatus, scilicet vt terminus habitus visionis. Secundò in beatis gaudium, & fructio est de visione, non de Deo, & in damnatis tristitia, & desperatio est de carentia visionis, non de carentia Dei, Deo enim non carent: Ergo in præsentia vita spes debet esse non de Deo, sed de eius visione, quia idem quod in hac vita speratur, eodem in patria

fruiamur. Tertiò refertur Deum ad nos ipsos videtur inordinatum, quia ipse est vltimus omnium finis, sed spes refert obiectum quod sperat ad commodum, vtilitatem sperantis, quia illud amat vt bonum proprium, & hac ratione à charitate distinguitur, cuius obiectum amat propter bonitatem in iplo existentem: Ergo. Quarto amor concupiscentiæ, qui est spei proprius, non potest ferri in ea, quæ supposito sunt nobis distincta, quia ea non videntur posse esse bonum nostrum, nisi ratione alicuius effectus nobis inhererentis, sicuti ignis non est nobis bonum, nisi ratione caloris nobis inhererentis.

Cæterum communis & verissima sententia est præcipuum obiectum spei esse Deum ipsum, simul tamen cum eius visione: ita D. Th. 2. 2. q. 17. art. 2. & ibi Caiet. Suar. dist. 1. de virtute spei, sect. 1. n. 4. Valent. 2. 2. dist. 2. q. 1. p. 1. pag. 445. vers. nos verò. Coninch. dist. 19. de spe, dub. 3. conc. 1. n. 44. Ratio præcipua est, quia sperans beatitudinem, non sperat Deum in se, neque illud petit, neque etiam sperat, aut petit visionem eius à Deo separatam, sed petit, & sperat vtrumque simul, sicuti auarus non petit, & sperat pecunias existerè, sed petit illas possidere. Possidere autem pecunias æquè immediatè includit pecunias, & illarum possessionem. Ergo in vtrumque nostra spes fertur. Deinde si Deus non esset nostræ spei immediatum obiectum, sed solum terminus immediatus obiecti, non esset spes virtus theologica, hæc enim ratione religio à virtute theologica excluditur, quia solum attingit Deum vt obiectum cui reuerentia, & honor exhibetur, & honor, & reuerentia est eius immediatum obiectum. At secundum communem Theologorum sententiam tres sunt theologice virtutes, fides, spes, & charitas. Ergo si fides, & charitas Deum immediatè attingunt, etiam & spes illum attingere debet.

5. Neque argumenta in contrarium obstant. Fateor obiectum spei esse absens, arduum, & futurum, quia licet Deus in se non sit absens, neque difficilis, neque futurus, est tamen Deus visus, sufficit enim quòd ratione visionis sit nobis absens, & difficilis, vt absolutè hoc complexum Deus visus nobis dicatur absens, & difficilis, & futurus: sicuti auaro appetenti pecunias dici possunt esse ab illo absentes, quia illarum possessio absens ab illo est. Adde cum obiectum spei dicitur absens, arduum, & futurum, non intelligas ferri in has rationes tanquam in formale obiecti constitutum; non enim speras, neque desideras absentiam, neque arduitatem, neque fructionem; imò velles hæc omnia non esse, sed illud obiectum, quod apprehendis arduum, absens, & difficile acquisitu, hoc speras consequi. Ad secundum dico, fructionem, & gaudium beatorum non esse præcisè, imò nec primariò de visione, sed potius de Deo per visionem possessio, ideo enim gaudent se habere visionem, quia per illam possident Deum. Et idem est in damnatis, carent enim Deo, qui sit illorum merces, esto non careant Deo, qui sit eorum delictorum vindex. Ad tertium refertur Deum ad nos ipsos, tanquam in finem esse quidem inordinatum, at refertur Deum vltimum finem nobis, id est, nostræ vtilitati inordinatum non est; sicuti Deus ipse nobis detulit solum suum, id est, in nostram vtilitatem, & remedium non tamen detulit nobis, vt non essemus illius finis. Spes ergo refert Deum nobis, id est, desiderat, & sperat consequi nobis Deum, non tamen desiderat, aut sperat nos, nostramque vtilitatem esse finem Dei acquisiti ad hoc enim necessarium erat nostram vtilitatem Deo iplo præferre, quod absit. Ad quartum nego omnia quæ sunt à nobis supposito distincta non posse nobis esse bona, & appetibilia sunt etenim vt patet in auaro, & in ebrio, quibus vinum, & pecunia sunt bona appetibilia, & visus, auditus, & gustus appetit obiecta à se distincta, illaque reparat bonum proprium. Fateor tamen aliquando bonum aliquod nõ esse per subiectum appetitus, sed medio effectu producto, vt in exeplo allegato de igne, quem frigidus ad effectum se calefaciendi non appetit immediatè, sed mediatè, secus ad alios effectus, quibus ipsa substantia ignis omnino necessaria est.

DE
STRO
ALAO
TON.
II III

Err. de Castro. Sum. Mor. Paris.

6. Ex his constat quod sit obiectum formale spei, affirmo, inquam, esse Deum visum nobis convenientem. Nam illud est formale obiectum alicuius voluntatis actus, quod mouet ad sui appetitum, & desiderium. At Deus visus mouet nostram voluntatem, ut ipsum appetat & desideret, quia sibi est bonum conueniens. Ergo hoc est obiectum formale spei, & ita tenet cum D. Thom. ferè omnes eius expositores, Bannes *art. 5. versic. nota secundò*. Suar. *disp. 1. de spe. sect. 2. concl. 3.* Coninch. *disp. 19. dub. 4. n. 52.* & alij apud ipsos.

7. Ex obiecto materiali, & formali huius virtutis inferitur distinctio quam habet à fide, & charitate. Nam licet fides, & charitas Deum respiciant, illamque habeant pro formali obiecto, sub diuersa tamen ratione, ac spes. Nam fides respicit Deum, ut testificantem verum, charitas ipsum respicit, ut in se summum bonum, summoque amore dignum. Spes attendit ipsum Deum, ut bonum sperantis, sic has virtutes distinguunt supradicti DD. Valent. *disp. 2. q. 1. punct. 2. in princ.* Suar. *suprà, tota sect. 3.* Coninch. *dub. 4. in fine.*

8. Quod si inquiras, an hæc distinctio sit realis, vel tantum rationis? Respondeo realem esse, neque enim sola rationis distinctio videtur sufficere ad numerum constituendum. Atqui ex sententia Pauli 1. *Corinth. 13.* fides, spes, & charitas constituunt ternarium numerum virtutum. Ergo sunt inter se realiter distinctæ. Adde in quolibet peccante mortaliter perit charitas, & non perit fides, neque spes. Ergo distinguuntur adiuuicem realiter, sic Suarez *sect. 3. in fine.*

PUNCTUM II.

Quid sint actus spei.

- 1 Duplex est actus prosecutionis, scilicet fuga.
- 2 Desiderare beatitudinem alicui potest esse actus spei si illam ut tibi convenientem desideres, si ut alteri convenientem, erit actus charitatis.
- 3 Desperare de beatitudine alicuius absque rationabili causa, est peccatum contra charitatem, vel iustitiam, vel fidem, secundum rationem, quam habes ad desperandum.
- 4 Ex gratia Dei, & ex nostris meritis speranda est beatitudo.
- 5 Bonum temporale sperare potest virtus spei.
- 6 Obseruare iustitiam ex timore gehennæ actus esse potest virtutis spei.

Respondeo in genere duplicem esse actum, alium prosecutionis in bonum sibi contentens, alium fugæ à malo sibi disconuenienti. Actus prosecutionis vocatur spes, actus fugæ vocatur timor. Ad eandem enim virtutem pertinet amare bonum & odio habere contrarium, quia sub eadem ratione uterque actus versatur, & inter se sunt ita subordinati, ut vnus alterum necessario inferat. Ergo ad eandem virtutem pertinet sperare bonum sibi conueniens, & timere malum contrarium; uterque enim actus proprij commodum respicit. Sic tradunt ferè omnes DD. cum Diuo Thoma 2. 2. q. 17. & 19. Difficultas autem solum versatur in explicando, qui sint ij actus: prosecutionis, & fugæ, seu spei, & timoris.

2. Et primò dubitatur circa actus prosecutionis, an tantum circa nostram beatitudinem, an etiam circa alienam spes versari possit? Quod est inquirere, an sperare, seu desiderare alicui beatitudinem sit actus spei? Quia in re omnibus variis argumentis, quæ inuicem conueniunt alicui DD. respondeo cum distinctione. Si desideres beatitudinem alterius, quatenus tibi bona est, quia sic accidentaliter saltem tua beatitudo crescit, tale desiderium est actus spei; si vero illam desideres, quia illi bona est, erit actus charitatis, sic docent expressè cum Diuo Thoma & Aug. Valent. 2. 2. *disp. 2. q. 1. p. 1. pag. 446. versic. tertia particula.* Valq. in 3. *tom. 1. disp. 43. cap. 2. num. 6. & 7.* Coninch. *disp. 19. de spe. dub. 5. num. 64. in conclus.* Suarez *disp. 1. sect. 3. num. 19.* Ratio prioris partis est, quia si beatitudinem alterius appetis, quia tibi conueniens est, potius bonum tibi, quam alteri appetis. Ergo ille appetitus ex amore concupiscentiæ, & non ex charitate, & amicitia procedit, sicut si tuo mancipio, aut equo salutem appeteres, quia tibi conuenit, non tam bonum illorum, quam proprium procuras. E contra vero si beatitudinem alterius opres, quia illi bona est, & conueniens, illius bonum optas, non proprium; ac proinde non ex amore concupiscentiæ, sed beneuolentiæ, & amicitia procedit, & consequenter spes esse non potest, sed erit charitas, quæ sit virtus Theologica, vel moralis. Nam velle bonum proximo, quia illi bonum est regulariter ex honesta quadam amicitia, non ex charitate, virtute theologica procedit, & norauit Coninchus, *disp. 19. de spe. dub. 1. num. 11. & dub. 1. num. 67.* Neque obstat dictum. D. Augusti. *serm. 11. de verbis Domini*, afferentis de nullius salute esse desperandum, ut inde colligamus ad virtutem theologiam spei pertinere sperare alicuius salutem, loquitur enim Diuus Augustinus in latiori significatione spei, quæ comprehendit bonum quodlibet speratum.

3. Quod si inquiras cui virtuti contradicatur, cum abque rationabili causa de proximi salute desperas? Respondeo optimè

Coninch. *disp. 19. dub. 5. num. 68.* attendendam esse rationem, ob quam desperas. Nam si desperas, quia credis Deum non illi ad futurum suis auxiliis, & erras contra fidem, cum ex illa tenentis credere omnibus Deum esse paratum, & insuper offendis diuinam pietatem, & benignitatem, illique iniurius es sic malè sentiens. Si autem desperas de proximi salute, quia credis ex sua negligentia, vel malicia omisuram necessaria ad salutem, peccas contra charitatem, vel iustitiam proximi, timere de illo in re tam graui iudicando abique fundamento, quod esse non potest abique reuelatione nam etiam si perditissimus sit potest conuerti, & salutem consequi. Quod si ex odio, quo proximum prosequeris, talis desperatio procedit, contra charitatem illi debitam peccabis.

4. Secundò dubitatur, an speranti beatitudinem licitum sit illam sperare ex suis meritis, an solum ex promissione, & gratia Dei? Respondeo principaliter debere sperare ex gratia Dei, cuiusque promissione, secundariò ex suis meritis, ut à gratia Dei profectis, sic omnes Catholici cum diuo Thoma q. 17. art. 4. Ratio est manifesta, quia inde speramus beatitudinem, unde illam consequi possumus; sed ex gratia Dei primò, & secundariò ex nostris meritis, ut gratia Dei profectis consequi possumus æternam salutem, ergo ex utroque simul illam sperare possumus. Pluribus locis Scripturæ confirmare poteram, breuitatis causa omitto, quia res est clara videatur Valent. *part. 1. circa fin.* Hinc sic certitudinem nostræ spei fundari in auxiliis diuinis, & nostris operibus ex gratia Deifactis, quia ex his causis beatitudo obtinetur, & Deus illam sic dare promittit. Et quidem de auxilio diuino constat ex illo Trid. *sess. 6. c. 13. ibi. Vnumquemque in Dei auxilio firmissimam spem reponere debet.* Quod autem etiam in operibus diuina gratia fulcitur hæc spes niti debet, probat Paul. ad Rom. 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod à tribulatione patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* & 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habebimus apud Deum, & illud 2. ad Timoth. Bonum certamen certamus, fidem seruamus, &c.* Secundò si posse nos operari bene inuita, & ipse consequendi æternam beatitudinem, siquidem beatitudo in premium offertur bene operantibus ex diuina gratia: & docuit Trident. *sess. 6. c. 11. in fine. ibi.* Cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intrentur æternam, & constat ex illo Palm. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes in æternum propter retributionem.*

5. Tertio dubitatur, an ex virtute spei sperare possis mercedem aliquam temporalem bonis operibus consequendam, v. g. salutem temporalem, ieiunio, oratione, & elemosynâ? Suppono licitum tibi esse ieiunium, orationem, & elemosynam ad hæc consequenda referre, quia licitum tibi est hæc à Deo petere. Ergo etiam licitum tibi est eius voluntatem inflectere his bonis operibus. Item Deus promittit obseruantiis mandata bona temporalia daturum. Ergo licitum tibi est obseruare mandata, ut sic promissum consequaris. Neque obinde debes dici seruus, & mercenarius, quia non seruis Deo ob illam retributionem reparatum animo non aliàs illi seruendi, sed potius paratus es saltem habitualiter omnia eius mandata seruire, est nullum temporale commodum tibi dedisset. Neque item obstat, quod rem superioris ordinis ad inferiorum referas, quando res superioris ordinis ex relatione ad inferiorum non omnino perit, ut patet in presenti, non enim perit oratio, & elemosyna ob talem relationem, sed apud Deum locum habet, aliàs tibi non liceret docere pueros obij aliquid temporale commodum, sufficit enim si hæc omnia acti vel habitu ad Deum referantur. Hoc supposito, respondeo, si temporale commodum, quod consequi optas medijs bonis operibus, velis illud obtinere, ut sic facilius beatitudinem consequaris, actus erit virtutis spei saltem imperatus, quia ab eodem modo procedit. At si ex nulla relatione ad beatitudinem procedit, credo non tam ad virtutem spei theologiam, quam moralem id pertinere posse, sic Suarez. *disp. 1. de spe. sect. 5. in fine.*

6. Quartò dubitatur circa mali fugam, an sit actus spei obseruare iustitiam ex præfido timore gehennæ? Et quidem si ita ex timore gehennæ iustitiam obseruares, ut voluntatem haberes iustitiam non obseruandi, si gehenna non esset, clarum est timorem illum esse malum, & peccatum, quia tunc gehennam præfers mandatorum obseruationi, & consequenter Deo, qui debet esse semper noster vltimus finis. In quo sensu dixit D. Th. 2. 2. q. 19. art. 4. *seruilitatem semper esse malam quod clarè explicuit Augustinus in lib. nat. & grat. c. 57.* dum dixit, Sub lege est qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore iustitiæ se tenet abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi: in ipsa enim voluntate reus est, quia malit, si fieri possit, non esse quod timeat, ut liber faciat, quod occultè desiderat. At si ex timore gehennæ mandata diuina obseruas, alioquin obseruanda, etiam si gehenna non esset, actum virtutis spei efficit. Ut quid enim Deus nos timore peccatum continere voluit in iustitia si ex illatum timore moderari non possimus? Quapropter Trid. *sess. 6. can. 8.* contra Lutherum, definit: *Si quis dixerit gehennam motum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis delendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores facere, anathema sit.*

PUNCTUM III.

In quibus habitus spei, & timoris insit.

- 1. In beatis non est propriissimus actus spei, remanens tamen habitus quoad substantiam.
- 2. Idem dicendum est de timore.
- 3. Qui timor sit in beatis.
- 4. Christus Dominus dum fuit in hac vita mortali habuit habitum spei.
- 5. Anima in purgatorio existens, habent propriissimum actum spei.
- 6. Dammati actus, & habitus spei carens.
- 7. Viatores iusti habent habitum spei, imò & peccatores, quorum peccatum virtuti spei non sit contrarium.

De beatis, & de damnatis, & animabus in Purgatorio existentibus potest esse dubitatio.

1. Dico ergo primò, in beatis non esse propriissimum actum, spei, remanere tamen habitum quoad substantiam, est non quoad denominationem; hanc conclusionem defendit Suarez tom. 1. in 3. part. quæst. 7. in explicat. art. 4. & disp. 1. de fide, sect. 8. num. 5. Conclusio disp. 19. dub. 10. num. 130. & 131. Priorem partem huius conclusionis probò, quia propriissimus actus spei est velle, & sperare Dei possessionem. Atqui beati iam possident Deum, & certò sciunt tempore possessionis. Ergo defecit in illis obiectum huius proprii actus, atque illum habere non possunt, & in hoc sensu loquitur Paul. 1. Corinth. 13. & Pontifices, cum dicitur fidei, & spem in patria equacuari, manere tamen charitatem, non enim manet spes secundum ipsam denominationem, quia non manet secundum suum proprium actum. Secundam partem, scilicet ibi remanere habitum spei quoad substantiam, sic probò. Nam beati plures actus eliciunt pertinentes ad virtutem spei. Primò gaudent de Deo possessio, quatenus sibi conueniens est, qui actus necessariò procedit ab eadem virtute, à qua procedebat illius amor, & desiderium. Secundò sperant beatitudinem sui corporis, & licet huiusmodi beatitudinem sciant futuram esse infallibiliter, & sine difficultate acquirendam, quia tamen acquirenda est ex auxilio supernaturali naturæ indebito, ea de causa dici potest ad virtutem spei pertinere. Tertio sperare possunt, & optare beatitudinem aliorum, non solum ex amore charitatis, & amicitia, sed etiam ex amore concupiscentiæ, quatenus sibi conueniens est, quòd ex aliorum consortio crescit saltem accidentaliter eorum beatitudo.

2. Quòd si de timore otio ex virtute spei loquamur, idem dicendum est, quòd dixi de actu spei non esse in beatis secundum proprium actum, quia beati cognoscunt sibi esse impossibilem priuationem Dei, æternamque damnationem, non igitur illam timere possunt. Timor enim proprie est aliquid mali possibilem imminentes. Eadem ratione videtur excludendus timor filialis, qui proprie est culpa, quatenus est offensæ Dei, & etiam pene per illam incurrit, prout separatur à diuina possessione, & eius honore, quia æque beatis pœna, & culpa est impossibilis, illiusque impossibilitatem cognoscunt, non igitur illa timere possunt. Adde securitatem timori contrariam: sed beati omnino sunt securi à culpa, & pœna, suscepta pœna, & culpa, secundum quamcumque rationem. Ergo non possunt secundum aliquam rationem illa timere. Denique qui timet aliquid malum anxius est, ne illi eueniat: at beati nullam anxietatem patiuntur, quia sunt omnino securi tum à pœna, tum à culpa. Neque item indigent aliqua constantia, aut fortitudine ad vitandum malum. Ergo non timent.

3. Dico timorem Domini sanctum permanere in sæculum sæculi, vt testatur David Psalm. 18. & de Christo dixit Elias repleuissit eum Dominum spiritu sui timoris, & Angeli, vt canit Ecclesia, tremunt, & contremiscunt. Ergo aliquis timor saltem filialis asserendus est beatis residere.

Respondet supra dicta conuincere in beatis aliquem timorem esse statendum, non strictum, & qualem Philoophi agnouerunt, ob illius beatissimi status securitatem, sed qualem Catholicæ agnoscentur possibilem cum perfectione illius. Primò ergo concedendus est beatis timor reuerentialis ortus ex cognitione diuinæ excellentiæ, & propriæ vilitatis, cum enim beati perfectissimè Deum, & se ipsos cognoscant, videantque se nimis improporcionados diuinæ familiaritati; efficitur sanè et trementes assistere, non tamen anxios, & perturbatos, sed cum summa pace, & securitate. Hæc igitur reuerentia simul cum humilitate dici communiter solet timor; non quia sit timor alicuius mali, sed quia est reuerentia admiratione plena, in quo sensu credo dixisse Petrum Christo Luc. 4. Exi à me Domine, quia peccator sum, super enim circumdederat eum non ob aliquid malum, quòd timeret sibi fieri posse, sed ob vehementem cognitionem diuinæ excellentiæ, & propriæ iniquitatis, & sic intelligendus est Psalm. cum dixit, timorem Domini permanere in sæculum sæculi, & Ecclesia asserens Angelos in conspectu diuinæ maiestatis tremere, & contremiscere. At hic timor, qui nihil aliud est, quam summa religio-humilitati coniuncta, non procedit ab habitu spei

Ord. de Castro. Sum. Ador. Pars I.

spei, sed ab habitu religionis, & humilitatis. Secundò concedendus est filialis timor, quo culpam, vt summum malum & diuinæ bonitati contrariū fugiant. Neque obstat cognoscere se esse à rã graui malo omnino securos, quia sufficit, quòd attetia præcisè eorum natura illis possibilis sit: hæc enim possibilitas remota sufficiens videtur cauere fugã in voluntate beati, & experientia cõpertum est nos tremere, & pauere viso leone, aut alia fera ligata, à qua tamen scimus certò esse securos, quia sufficit apprehendere illud malū nostre naturæ possibile esse. Fateor exemplum non esse adæquatam, tum quia timendo feram anxiamur, & angustiamur, quòd tamen in beatis non contingit, tum quia malum, quòd à fera nobis prouenire potest, absolute est possibile, vel quia possibile est à ligatura dissolui, vel me illi coniungi. At beati cognoscunt culpam, & priuationem, Dei illis esse impossibilem propter quæ credo aboluto actu timoris refugere non posse, bene tamen per quemdam simplicem actum, & quasi conditionatum. Et in hoc sensu non reputo inconueniens, quòd refugiant pœnam damni, & sensus, cum etiam apprehendere possint, suæ naturæ præcisè spectatæ possibile esse. Esto Valent. disp. 2. q. 1. p. 5. & Coninch. disp. 20. de timore, dub. 9. n. 93. censeant illius non habere timorem, etiam secundum hanc imperfectam rationem, quia sunt Deo intimè vniti, & de sua incolumitate parum, de diuino honore multum solliciti.

4. Ex his constat primò, in Christo Domino, cum in hac vita existit spem fuisse quoad habitum, secundum substantiam, siquidem gaudens fuit de visione beata, tum ob gloriam Patris, tum quia illi erat bonum proprium. Et insuper spem habuit consequendi gloriam sui corporis, exaltationemque sui nominis, quibus perfecti Deo vniretur. Neque obstat cognouisse Christum illa omnia esse certò consecuturū nec timuisse amittere, eo quòd virtute, suppositoque diuino erat roboratus, quia ad rationem spei non videtur necessaria contingentia, sed solum possibilitas cum difficultate. Fuit autem Christo Domino gloria sui corporis, exaltatioque nominis possibilis consequi cum graui difficultate, & arduitate, siquidem summis doloribus, & morte acerbissima illa consequi debuit, iuxta illud Lucæ vii. Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ergo licet in aliis beatis non esset agnoscendus habitus spei secundum suam denominationem, quia neque sperant gloriam animæ, cum iam habeant, neque gloriam corporis, vt rem arduam, & difficilem, cum absque vilo labore eam debent consequi, in Christo agnoscendus est habitus spei quoad gloriam sui corporis, propriumque nominis exaltationem sic docuit D. Thom. 3. p. 2. q. 7. art. 4. & ibid. Suar. in comm. Valq. disp. 43. c. 2. Coninch. de spe disp. 19. dub. 11. concl. 1. 2. & 3. De actu timoris idem quòd dictum est de aliis beatis, dicendum est de Christo Domino: neque video aliquid ultra notatu dignum.

5. Secundò constat quid dicendum sit de animabus in Purgatorio existentibus, an, inquam, iis non solum habitus, sed verus actus spei insit. Aliquibus videtur ab illis huiusmodi actum esse remouendum: nam licet beatitudo illis sit possibilis, & abiens, quia tamen sunt de illius consecutione omnino certæ, non videntur illius proprie habere spem, cuius obiectum debet esse aliquo modo speranti contingens, sic Lorca. 2. 2. sect. 2. disp. 9. n. 7. & 8.

Ceteram verius est propriissimum actum spei habere, quia illis beatitudo est possibilis, abiens, & acquisitu difficilis, siquidem pati debent tot grauissima tormenta pro illius consecutione. Quòd autem certò sciunt se consecuturas, hoc in causa esse non potest quominus illam sperare possint; certitudo enim non tollit spem, sed tollit anxietatem, & turbationem; alius careret spe consequendi beatitudinem, cui esset reuelata eius futura consecutio. Et ita in animabus Purgatorij esse veram spem beatitudinis, docuit D. Th. communiter receptus 2. 2. q. 18. art. 3. in fin. corp. & tradit Coninch. disp. 19. dub. 11. n. 146. Suar. disp. 1. de spe, sect. 8. n. 4. De actu timoris idem proportionaliter dicendum est, quòd de beatis diximus, cum ipse animæ sint omnino ex diuina reuelatione certæ, neque culpam, neque damnationem incursum.

6. Rursus de damnatis dicendum est carere non solum actu proprio spei, sed etiam ipsius habitus secundum substantiam, tum quia ij sciunt beatitudinem sibi esse impossibilem. Neque enim ergo illam efficaciter desiderare, aut sperare, aut de illa gaudere. Inefficaciter autem bene possunt desiderare esse beatos, sed ob hoc inefficax, & imperfectum desiderium non est illis concedendus habitus spei, præcipuè cum ipsi sint indigni quolibet supernaturali dono. sic Valent. 2. 2. disp. 2. q. 1. p. 3. Coninch. disp. 19. dub. 12. concl. 3. num. 150.

7. Tandem de viatoribus dicendum est si iusti sint, de fide est, esse in illis habitum propriū spei, & timoris, quia ij, vt dixit Trid. ad iustificationem disponuntur. si autem sint peccatores, non obinde spem amittunt, colligitur apertè ex Trid. sess. 6. c. 7. docente per fidem, & spem nos non esse Christo perfectè vnitos, nisi accesserit charitas. Supponit ergo posse nos imperfectè vniri, atque ad eò fidem & spem habere posse sine charitate. Clariss session 114. cap. 4. loquens de attritione cum spe veniæ, dixit esse donum Spiritus sancti nondum inhabitantis. Separatur fides, & spes à charitate, & ita tradunt omnes Catholici. Verum si peccatum sit infidelitatis, spes omnino deperditur: nam sublatâ fide omnia supernaturalia dona virtutis pereunt; quia illorum

M m 2

illorum est fundamentum, & radix, ut dixit Trident. *sess. 6. c. 8.* Item si peccatum sit desperationis, spes amittitur, quia illi specialiter est contrariū: sic supponunt omnes, ut videre est in Suarez. *disp. 1. de spe, sect. 8. in princ. Coninch. 19. disp. 19. dub. 11.*

PUNCTUM IV.

An sit, & quando obliget præceptum spei.

1. Præceptum spei negativum semper obligat, affirmativum aliquando.
2. Obligat quoties necessarium est ad orationem, penitentiam, vel tentationem vincendam.
3. De directa obligatione proponuntur variae sententiae, sed reselantur.
4. Concluditur nullum esse tempus determinatum, sed prudentis arbitrio mensurandum esse.
5. De timore tam filiali, quam servili est præceptum.
6. Sed non videtur esse præceptum de exercendis his actibus formaliter.
7. Rarò homines nisi perditissimi executionem huius præcepti omittunt.

1. Præceptum spei & potest esse affirmativum, & negativum. Negativum semper obligat, quia semper obligamur non desperare de divina misericordia, & confectione aeternae vitae. Præceptum spei affirmativum non est constans apud Doctores quo tempore obliget, etsi apud omnes cum D. Thom. 2. 2. q. 22. a. 1. sit receptum aliquando obligare, ex illo Psalm. 4. *Sperate in Domino & ad Titum 2. Expectantes beatam fidem, & ad Roman. 15. Vi per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Non enim sine spe beatitudinis, beatitudo obtineri potest, est enim anchora firmissima nostrae vitae spiritualis. Et quidem si de tempore huius obligationis loquamur.

2. Primò certum est obligare præceptum spei, quoties sine illo debita oratio, penitentia, & tentationis victoria obtineri non potest, quia præceptum obligans ad alium finem, obligat simul ad ponenda media necessaria ad illum finem. At hæc obligatio non tam est ex præcepto spei, quam ex præcepto penitentiae, orationis, & tentationis vincendae; ac proinde eius omisso non est specialiter contra spem, sed contra penitentiam, vel orationem, & ita non est in confessione manifestanda, sic Bannes 2. 2. q. 22. art. 1. dub. 2. Sanchez lib. 2. in Decal. c. 33. n. 3. in modo, & sine Suarez. *disp. 2. de spe, sect. 1. n. 2. & 3.*

3. De directa autem obligatione spei plures sententiae adesse, cum primò rationis vltimè assequeris, quia eo tempore teneris te ad Deum convertere, quod fieri non potest, quin in ipsum speres. sic Bannes 2. 2. q. 22. art. 1. dub. 2. Aragon. ibi. Petr. de Ledesma. 2. tom. sum. tr. 2. c. 4. concl. 3. Cæterum hoc dictum non satisfacit, tum quia hæc non est obligatio directa, sed conversionis, quae si fieri posset sine spe, nullum de spe esset præceptum. Tum quia conversio perfecta videtur fieri posse sine speciali actu spei, eo ipso, quòd Deum cognoscas ut summum bonum, illi inque ames super omnia; quòd enim impedire potest, quominus fidem amor subsequatur, nullo actu spei formaliter, & distincto; sufficit enim regulariter actum spei mediare, ut dicamus spem inter fidem, & charitatem medium locum tenere. Adde pro illo instanti vltu rationis non adesse hoc conversionis præceptum, secundum probabilem sententiam, sed necessarium est, ut tempus aliquod arbitrio prudentis decurrat. Ergo non adest directa spei obligatio: & ita tenet Valent. 2. 2. disp. 2. q. 4. p. 1. Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 33. n. 3. Alij secundò dicunt te obligatum esse actum spei elicere, quoties gravi tentatione desperationis vexaris, nisi animum actu spei contrario firmes, quia eodem præcepto, quo teneris non desperare, teneris & sperare quando sperare, medium est necessarium ne desperes. sic docent Bannes 2. 2. q. 22. art. 1. dub. 2. Valent. p. 1. Sanchez n. 3. Bonacina *disp. 3. q. 3. p. 2. n. 2.* Fateor hoc verissimè esse, sed rogo, quando actus spei reputari posset medium necessarium ad vincendam desperationis tentationem? Quis enim hoc investigare poterit: cum sint plura media ad Deum instituta ad quilibet gravem desperationis tentationem vincendam, tum oratio, tum consideratio, tum fides, tum amor, tum denique imaginationis diversio. Non ergo hoc tempus obligationis est cognitum facile. Tertio alij dicunt te obligatum esse spem habere, quoties obligaris, vel vis aliquid à Deo petere; quia sine se consequendi peritum, non videris posse debite petere. sic Coninch. *disp. 19. dub. 9. n. 117.* Sed neque hoc dictum satisfacit. Primò, quia tunc non est obligatio directa spei, sed indirecta, quatenus est medium necessarium ad orationem. Quòd inde constat, quia si orationem debitam omittas, non peccas contra virtutem spei, sed contra religionem, cuius actum exerceere tenebaris. Secundò, quia stare optinè potest te obligatum esse ad orationem aliquam faciendam, non tamen esse obligatum, neque indirectè ad habendum formalem actum spei, sufficit, si illum habeas implicitum, & virtutalem, ut dixit Suarez *disp. 2. de spe, sect. 1. num. 2.* Qui enim petit à Deo beneficium aliquid, non tenetur illud petere ex amore sui, & ex relatione ad beatitudinem sibi convenientem po-

rest enim illud petere, & sperare consequi ex amore amicitiae, vel alio honesto fine. Non ergo obligatur elicere formalem actum spei.

4. Restat ergo, ut dicimus nullum esse tempus determinatum in quo huiusmodi præceptum obliget, sed prudentis arbitrio mensurandum esse, nec permitendum longo tempore differri: Suarez *disp. 2. de spe, sect. 1. num. 3.*

Regulariter huic præcepto positivo omnes satisfaciunt, Primò satisfaciunt, cum de peccatis dolent, quia vix, aut nunquam omittunt actum formalem spei, quo eriguntur, ut dixit Conc. *sess. 6. c. 6.* ad peccata detestanda, novamque vitam inchoandam. Secundò huic obligationi faciunt satis, cum propositum habent nunquam peccandi mortaliter: hoc enim propositum est aliquoties ex Dei amore perfectò procedat, sæpè illum gignunt ex amore imperfecto considerant enim aeternam retributionem, quam peccatis amittunt, & ex illius consideratione in spem vitæ aeternae, ut sibi convenientis, eriguntur, & peccata detestantur. Neque enim in hac vita tot difficultatibus plena sine spe aliqua retributionis sæpè repetita contentuari homines possunt in divina gratia, aut longo tempore peccata vitare. Vide Coninch. *disp. 19. dub. 9. num. 114.*

5. Rursus de actu timoris inquiri potest, an sit præceptum, & quando obliget: Esse quidem præceptum videtur satis colligi ex illo Sapientiae 1. ver. 27. & 28. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Cùm autem iustificatio necessaria sit ad salutem, efficitur sanè & timorem, sine quo ipsa esse non potest, necessarium esse: & tradit D. Thom. 2. 2. q. 22. art. 2. Sanchez lib. 2. cap. 33. n. 4. Suarez. *disp. 2. de spe, sect. 1. num. 4.*

Sed quia est duplex timor honestus, alius filialis, alius terribilis, de utroque affirmandum est esse præceptum. Filialis timor Dei, qui ex amore Dei timet, & fugis eius offensam, sicuti legitimus filius patrem timet offendere, quia illum amore complectitur. Servilis autem timor honestus est, quo timet more servorum offendere Deum ob penam, quam inde incurrit, in quo affectu potius tuæ incolumitati, quam diuino honori consulis. De utroque ergo timore afferunt D. Thom. Sanchez, & Suarez. *supra*, esse præceptum. Nam de timore filiali videtur traditum Deuteronom. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum: de servili timore Matth. 10. & Luc. 12.* illis verbis, *eum time, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*; & colligitur ex Trident. *sess. 6. cap. 6.* definitur ad iustificationem impij hanc timorem gehennae concurrere.

6. Cæterum cùm necessarium non sit ad iustificationem impij aliquem ex his timoribus expressè, & formaliter concurrere, sed sufficit, si virtualiter infir, ut notavit Valent. *disp. 2. de spe, q. 4. p. 2.* efficitur sanè nullum adesse præceptum expressum excedendi hos timores formaliter. Sed tunc satis exercetur, cùm opera alijs præcepta executioni mandantur. sic Valent. *supra*, & Sanchez lib. 2. c. 33. n. 4. Dices, sæpè gravi tentatione vexaris, eamque vincis, timens ne Deum offendas, & ne penam inferni incurras; alioquin non victurus. Ergo huiusmodi timor obligat in praesenti casu. Respondet obligare non ex præcepto speciali spei, & timoris, sed ex præcepto illius virtutis, adversus quam tentaris. Quòd manifestè probatur ex eo; quòd si tentationis consentias, non adversus virtutem spei peccas, sed solum adversus illam virtutem, cuius erat tentatio, & eamque solum culpam teneris in confessione manifestare; quia ille defectus timoris solum est conditio quaedam generalis continens animum à peccatis, sicut diuorum beneficiorum consideratio; ac proinde sicut defectus huius considerationis non constituit specialem culpam neque etiam defectus timoris illam constituere potest.

7. Adde denique etsi de timore tam filiali, quam servili specialia præceptum, & formale daretur, crederem rarò homines, nisi perditissimi sint, illius executionem omittere. Nam cùm hæc obligatio non pro singulari mensibus, neque annis deberet constitui, sed aliquoties tantum in vita prudentium arbitrio, rarò omitti potest. Quis enim est, nisi depravatus, qui Deum summè oblitus, qui aliquoties in vita non omittat Dei offensam, tum ob Dei bonitatem, & amorem, tum ob penam inferni vitandam quae non doleat de peccatis his motibus excitatus, Ergo non sunt in huius præcepti executione scrupuli iniiciendi.

PUNCTUM V.

De desperatione spei virtuti contraria.

1. Desinitur desperatio.
2. Neque in actu iudicij, quo iudicatis te non esse salvandum; neque in notione beatitudinis consistit desperatio.
3. In quo desperatio formaliter consistat.
4. Praesupponit iudicium vel de difficultate, vel de impossibilitate beatitudinis.
5. Desperatio semper est mortale peccatum.
6. Quid dicendum de illo, cui Deus suam damnationem revelavit.
7. Negatur possibilitas casus.

- 3. Ab aliis Doctoribus admittitur saltem de potentia Dei.
- 7. Illo casu admissio expenditur aliquorum placitum de desperatione.
- 10. Quid dicendum sit explicatur.

1. Definitio desperationis desumi debet ex contrarietate quam habet cum spe. Quare cum spem dixerimus consistere in voluntate efficaci obtinendi beatitudinem, illamque procurandi, desperatio consistit in voluntate efficaci nolendi beatitudinis perfectionem, sic enim desperatio spei erit directè contraria.

2. Ut autem hoc plenius intelligatur, advertendum est aliquos affirmare desperationem consistere aut in nolitione beatitudinis, sicuti spes consistit in illius voluntate aut desperationem consistere in actu intellectus, quo iudicas te non esse salvandum, sicuti spes supponit actum fidei, quo credis salvari posse. sic Almain. tract. 1. mor. cap. 1. Ceterum hic modus explicandi desperationem non potest in nolitione beatitudinis. Tum quia nullus est, qui beatitudinem possit nolle cum in beatitudine nulla ratio mali apprehendatur, qua est fuga obiectum, vt bene dixi Valq. 1. 2. disp. 3. num. 7. Tum quia desperatio est solum illius rei, quam aliquis vult, & appetit sequi. Ergo si de facto non vis beatitudinem, quia tibi ex aliqua ignorantia non placet, illam non desperas, sed tanquam malam respicis. Secundum in actu intellectus, quo iudicas te non esse salvandum, consistere desperatio nequaquam potest, quia desperatio est contraria spei, & cum spes sit in voluntate, desperatio in eadem potentia recludere debet. Deinde vel iudicas te non esse salvandum, quantumcumque cum diuina gratia adiuvas facias quod possis, vel iudicas non esse salvandum, quia determinas media necessaria ad salutem non apponere. Primum iudicium est hereticum, ac proinde in illo desperatio consistere non potest, aliis desperatio cum heresi confunderetur, contra receptam sententiam distinguuntur desperationem ab heresi, & affirmantem manere posse fidem in homine absque spe propter peccatum desperationis. Secundum iudicium est hereticum non sit, non constituit desperationem, sed ad summum desperationem supponitur, nam post illo iudicio adhuc non cogit desperare, quia ab illo iudicio non necessitatur, sed potius poteris dicere, sciam quantum posuero, vt saluer. Ergo in illo iudicio desperatio consistere non potest. Regulariter autem ex illo iudicio sequitur desperatio, vt bene dixit Suarez disp. 2. de spe, sect. 2. n. 2. Sanchez lib. 2. cap. 33. n. 6. Adde nullum ex his iudiciis ad desperationem necessario requiri, sed aliud iudicium efformatum de difficultate beatitudinis consequendæ sufficit ad illius desperationem, vt iam dicam.

3. Dicendum ergo est desperationem consistere in duplici actu voluntatis, vel in vno actu cum duplici respectu. Primum consistit in quadam voluntate efficaci, & positua omittendi pro tota vita media necessaria ad salutem, quia tibi difficilia apparent, & tuis appetitibus sunt contraria. Secundum consistit in ipsi iudicium beatitudinis fuga, & recessu, quatenus enim ille actus beatitudinem respicit, dicitur proprie desperatio, quia beatitudinem desperat, qui non vult illam prosequi, quatenus verò respicit mediour executionem, quæ ad beatitudinem requiruntur, dicitur nolitio, quia absolute non vult media beatitudini necessaria exequi. sic Coninch. disp. 20. dub. 10. à n. 74.

4. Hinc inferitur ad desperationem sufficere iudicium, quo iudices beatitudinis consecutionem tibi esse arduam, & difficilem, etiam ex hoc iudicio moueri possis ad nolendum illam procurare, & consequenter ad desperandum illius consecutionem. sic Coninch. m. 81. Debes tamen, vt bene notat ipse Coninch. m. 82. credere iudicio te beatitudinem esse consecuturum. Nam hoc iudicio stante desperare nequam posses, sed potius sperare tibi necessarium erit, si aliquem actum eliciturus eras. Aliquando desperatio oritur ex iudicio falso, & erroneo, quo iudicas tuam salutem impossibilem, si ex hoc iudicio nascatur, supponit heresim, si ex aliis iudiciis oritur habere, supponit te nimis peccato deditum. Iuxta illud ad Ephel. 4. Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitie, in operationem immunditiae omnis in auaritia, & illud Ictem. 18. Desperauimus post cogitationes nostras vobis.

5. Sed inquires, an desperatio semper sit mortale peccatum? Affirmatiue omnes respondent, vt testatur Sanch. l. 2. cap. 33. n. 3. Suarez disp. 2. sect. 2. n. 4. Valent. disp. 2. q. 3. p. 1. circa finem. Et ratio est manifesta, quia non potest inueniri prauitas materis in voluntate desicendi integrè à prosecutione eternæ vitæ.

6. Sed aduersus hanc resolutionem obicit vulgaris casus de eo, cui Deus fore condemnandum reuelaret, quia hic non videtur peccaturus in desperatione, siquidem iam illam sperare non potest, vt ipse certo sciens non consecuturus: nam, vt dixit D. August. in enchiroid. cap. 8. Quid sperari potest, quod non creditur? Quasi diceret, si non credis consecuturum beatitudinem, quomodo illam sperare potes? Ergo non peccas in illius desperatione, cum desperatio nihil aliud sit, quam voluntas non prosequendi, seu conandi ad beatitudinem.

7. Facilis erat huius argumenti solutio, si casum esse possibilem negemus, vt negat Bonauent. 1. distinctione vltima, circa litteram. & ibi Gregor. questione vltima paulo ante finem D. Thom. ibid. Et ad. de Castro sum. mor. Pars 1.

art. 4. ad 2. vocat casum quasi impossibilem Dionys. Richel. dialog. de iud. anime art. 5. Altius dicitur lib. 3. tr. c. 6. q. 5. paulo ante finem. Et mouentur, quia talis reuelatio diuinæ bonitati, & sapientiæ repugnat. Tum quia constituit hominem in occasione vehementi desperandi de diuina misericordia, & committendi plurima peccata, tum quia impedit seruum, & fortem conatum in beatitudinem quem habere non potest, si sciat beatitudinem non esse consequuturum.

8. At plures DD. hunc casum esse possibilem admittunt saltem de potentia Dei, sic relato D. Thom. Maior. & Gabr. docent Suarez. disp. 2. de spe, sect. 2. n. 6. Coninch. disp. 20. dub. 12. n. 91. Valq. 1. 2. disp. 72. n. 15. Bonac. disp. 3. q. 3. p. 2. n. 4. Lorca 2. 2. q. 22. art. 1. sect. 2. disp. 18. & alij. Et mouentur, quia in hoc nulla videtur implicatio, nec repugnantia: nam licet ille homo ex tali reuelatione constituatur in grauissima, & vehementi occasione peccata multiplicandi, & de diuina misericordia desperandi, Deo illa peccata non sunt tribuenda, quia ipse Deus obligatus non erat illa impedire, aut à tali reuelatione, & occasione cessare, cum grauissima causa motus, scilicet ostensione diuinæ iustitiæ id effecerit. Quoties ergo peccata ex alicuius actione per accidens sequuntur, & præter ipsius intentionem, ipsi non tribuuntur, si obligatus non fuit ab actione cessare. Item ex illa reuelatione nequaquam impeditur habere firmum conatum in beatitudinem, quantum est ex parte sua licet attenda humana fragilitate sit difficillimum. Ergo ex nullo capite implicat talis reuelatio, præcipue si fiat homini peccatori in vindictam peccati commissi, & ad terrorem aliis incuriendum.

Dixi, reuelationem posse fieri præcipue homini peccatori in vindictam peccati commissi. Nam iusto vix credo posse talem reuelationem fieri, quia nulla videtur adesse honesta causa, quæ Deus moueat illum ponere in amico suo. Nam præcipua, & potissima causa, quæ excogitari potest, est peccati proprii vindicta, quæ in homine iusto non habet locum. sic Coninch. disp. 20. dub. 12. n. 93. Et confirmo. Quæ enim implicatio esse potest, quod Antichristo reueletur sua impenitentia finalis, & æterna damnatio, siquidem illa impenitentia non ex reuelatione, sed ex malitia illius provenire debet, eodem modo, ac si nulla esset facta reuelatio, quia reuelatio, sicuti & scientia Dei, non immutat cauam operationem, sed potius illum obiectiue supponit.

9. Postea ergo Deum alicui suam damnationem absolutam reuelasse, (quod raro, vel nunquam præsumendum est fieri) argumento respondet Coninch. disp. 20. dub. 13. concl. 2. n. 109. Bonacina disputation. 3. quaestio. 3. part. 2. numer. 4. concedendo totum, & affirmando desperationem tunc non esse peccatum, si procedat ex iudicio; quo credis illam non esse ex tua infirmitate conaturum, non ex iudicio quo credas misericordiam Dei tibi paratam non esse. Quod probant, quia sciens absolute tuam condemnationem sperare non potes aliter esse futurum. Ergo licet desperas, quia voluntas non sperandi, est desperatio formaliter. Hæc autem desperatio non est intrinsecè mala, sed illa solum est mala, quæ esset de Deo, eiusque misericordia. Dices. Ergo inde inferitur me non teneri, imò, nec posse ad beatitudinem conari, quia seruis conatus ad beatitudinem esse non potest, cum iudicio certo de illius non consecutione. Item inferitur me non peccaturum consentientem tentationi, quia hanc vincere non possum sine seruo conatu ad beatitudinem, quam tamen habere non debeo; Coninch. disp. 20. toto dub. 12. 13. & 14. sequelam admittit, motus, & præcipue ratione, quia ad seruum conatum ad beatitudinem requiritur necessariò indicare probabiliter saltem tibi esse possibilem beatitudinem consequi: qui certo scit non esse illam consequuturum, non potest indicare probabiliter esse sibi possibile illam consequi. Ergo non potest ad illam efficaciter moueri. Secundam consequentiam late disputat Coninch. dub. 14. & ob illa affirmat nemini posse reuelari à Deo propriū, & speciale peccatum in aliquo determinato tempore faciendum, ob quod sit condemnandus quia ex tali reuelatione tolleretur seruis conatus, qui necessarius est ad vitandum illud, ac proinde impeditur moraliter potentia illud vitandi, & consequenter cessaret ratio peccati. Quod si obicit, ex præscientia Dei de tuo peccato futuro non impeditur tua libertas ad illud vitandum. Ergo neque etiam ex illa præscientia tibi manifestata, cum semper obiectum supponat, & modum operandi non immutat; Respondet Coninch. dub. 14. n. 137. negando consequentiam, & rationem differentie assignat, quia præscientia Dei nihil in te causat: at reuelatio, causal iudicium, quo iudicas tibi peccatum esse vitatu impossibile, & consequenter tollit vires, & conatum ad illud vitandum.

10. Ceterum aliter respondendum censeo. Affirmo namque cum iudicio certo de damnatione posse quantum est ex parte tua seruum conatum habere pro illius consecutione, quia illa damnatio non euenit ex aliqua causa, quæ tibi necessitatem inferat, sed euenit ex tua libera voluntate te ad peccatum determinante. Ergo antecedenter ad illius determinationem conari potes, vt te non determiness, quid enim impedit; Non iudicium, quo iudicas te non euitaturum, quia hoc iudicium supponit tuam liberam determinationem, cum omnibus causis, quæ ad illam concurrant, & cum omnes hæc vim, & necessitatem voluntati non inferant, iudicas te liberè esse determinandum. Ergo cum hoc iudicio stare potest aliud iudicium, quo iudicares te posse non determinari, atque ad eò possibile esse tibi non condemnari. Ergo seruum conatum habere

DE
S
A
T
O
M
I
I

poteris pro vitando peccato, & condemnatione. Dices ad aliquem inem consequendum te non posse eligere medium quod hic, & nunc inutile reputas ad illius consecutionem. Ergo non poteris scire, & constanter eligere medium ad vitandum peccatum, & condemnationem, quod artentis his circumstantiis inutile reputas. Respondeo, quando inutilitas medijs aliunde, quam ex tua voluntate provenit, fatore te scire, & efficaciter conari non posse ad finis consecutionem pro illo medio. At si medium esse inutile non aliunde quam ex tua voluntate provenit, optime poteris conari finis consecutionem medio illo, cum hoc obiectum non excedat tuam voluntatem, & potentiam.

PUNCTUM VI.

De presumptione, quae virtuti spei contraria est.

1. Quotupliciter praesumptio sumitur.
2. Graue est peccatum.
3. Praesumptio contraria spei quibus modis committatur.
4. Qua praesumptione amittatur spes.

1. **P**raesumptio multipliciter sumitur. Primum pro spe, & fiducia consequendi à Deo auxilium opportunum, iuxta illud Iudith 6. *Non derelinquis praesumentes de te, & cap. 9. Exaudi me miseram deprecantem, & de tua venia praesumentem.* Secundò sumitur praesumptio pro iudicio ex coniecturis formato, quod pro qualitate coniecturarum aliquando est certum, aliquando probabile. Hinc orta est communis Iurisperitorum distinctio praesumptionis in violentam, vehementem, & leuem, de qua in vlt. disputat. praeced. tractat. latè diximus. Tertio sumitur praesumptio pro vitio opposito humilitati, & magnanimitati, de quo D. Thom. 2. 2. q. 110. Quarto sumitur praesumptio pro vitio opposito virtuti Theologicae spei. De praesumptione secundum hanc vltimam acceptionem est in praesenti agendum. Est ergo haec praesumptio spes obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, reliqua quae supernaturalia dona, aliter quam ipse obtinenda statuit sic omnes DD. cum D. Thom. 2. 2. q. 21. Cum enim spes sit voluntas obtinendi à Deo gratiam, & gloriam medijs ab ipso institutis, & praesumptio alia via obtinere interdicit, spei opponitur.

2. Haec autem esse grauisimum peccatum constat, tum ex Eccles. 18. *Vidi praesumptionem cordis eorum, quod mala est;* tum ex manifesta ratione, quia voluntas obtinendi dona supernaturalia praeter ordinem diuinae prouidentiae, & est illuoria, inutilis, & diuinae sapientiae, & potentiae contraria. Ergo habet malitiam ita grauem, ut nisi ex defectu plenae deliberationis excusari non possit à mortalitate. sic Bannes 2. 2. disp. 9. 2. dub. 2. Valent. disput. 2. q. 3. p. 2. Sanch. lib. 2. c. 33. n. 7. *verfessique semper.* Bonac. disp. 3. q. 3.

de spe. p. 1. n. 5. Azor. 1. p. lib. 9. c. 2. g. 7. Tolet. lib. 4. c. 7. num. 9. & alij apud ipsos.

3. Haec praesumptio contraria spei theologiae multipliciter committi potest. Primum si praesumas, vt Pelagius, proprijs virtutibus beatitudinem consequi. Ad idem est, si spem colles in creaturis, tanquam in auxilio sufficienti ex se ad salutem, quia nulla creatura nisi cum Dei adiutorio salutem tibi impertiri potest. Ac inuocare creaturas, & in illorum praesentia sperare, vt simul cum Deo te adiuuent, etiam si Dei expressè memor non sis, nulla praesumptio est, quia sufficit virtute, & interpretatiuè Deum in adiutorium expostulari. sic alijs relatis Sanch. lib. 2. c. 33. n. 7. Secundò committi potest praesumptio, si, vt Lutherus, praesumas sine poenitentia remissionem peccatorum, & sine meritis gloriam obtinere. Ad idem reduci potest, si ea spe obtinendi in sine vitæ peccatorum remissionem, differas poenitere, quia nimium de diuina misericordia praesumis, siquidem praesumis misericordiam obrinere, diuinam misericordiam irritando. Non enim iustum est, vt misericordiam inueniat qui ex illa occasionem sumit multiplicandi peccata, ex qua debebat à peccato abstinere. At hoc peccatum credo non esse propriè contra spem, siquidem non speras misericordiam consequi medijs peccatis de praesentia commissis, sed poenitentia illorum, quam existimas facturus diuina gratia aditus. Est tamen hoc peccatum contra virtutem poenitentiae, si illam differat ultra tempus obligationis, & contra alias virtutes si in contrarijs virtutibus perseverare intendis. sic Sanchez lib. 2. c. 33. n. 7. Bonac. disp. 3. q. 3. de spe. p. 1. n. 6.

4. Sed inquires, an hoc peccatum praesumptionis ita sit contrarium spei, vt illam corrumpat? Respondeo si more Pelagij & Lutheri praesumas, credens proprijs virtutibus, vel sine meritis beatitudinem consequitur manifestè est te amittere spem, quia amittis fidem, sine qua spes non est, neque illa virtus, & docent omnes. At haec amissio virtutis spei non provenit propriè ex praesumptione contraria spei, sed ex haeresi, quae praesumptionem antecedit. Quocirca si haec praesumptio sine iudicio erroneo intellectus haberetur, vt communiter haberi solet, etiam ita speras beatitudinem consequi, ac si illam proprijs virtutibus, vel sine meritis iudiceres assequendam, spem non destruis, etsi illi aduerseris per excessum, quia non per quodcumque peccatum spei contrarium perit spes, sicut neque fides per quomcumque infidelitatem, vt bene notauit Coninch. 2. 2. disp. 16. dub. 4. in principijs, sed per solum illud peccatum, quo cum compati nulla ratione potest spes, quod non est aliud nisi desperatio. Cum praesumptione autem seculo errore intellectus optime compati potest spes, cum tam spes, quam praesumptio conueniant in obiecto formali sperato, quod est beatitudo, vt bonum proprium, & solum differat, quia diuerso modo illam consequi sperant. sic Suar. disp. 2. de spe, sect. 1. n. 4. Valent. 2. 2. disp. 2. q. 3. p. 2. Turrian. q. 21. art. 2. Coninch. disp. 205. dub. 15. n. 149. Sanchez lib. 2. c. 33. n. 5.